



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. IV. Vtrum crux Christi sit adoranda adoratione latriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Simile.

96.
Ex hoc
quod mi-
nor sit iniu-
ria quae fit
Principi in
sua imagi-
ne, non se-
quitur ima-
ginem per
se inhono-
rari.

Confirm.

Obiectio 7.

Resp.

97.

Heretici
negant sim-
pliciter
imagines
adorari
posse.

saepe possit contingere quod in antecedente assumitur, nullo modo sequitur illum solum remore respici per deiectionem statuae ipsius, & totam iniuriam refundi in ipsam statuam. Patet in simili in mala tractatione equi, quae morali hominum indicio non potest censi actus iniustitiae vel inimicitiae respectu ipsius equi, sed solum respectu domini equi, qui in equo & per equum censetur iniuriā affici vel odio haberi, ita ut sit terminus iniuriā formalis. Certè ex inaequalitate iniuriæ nullo modo licet colligere ipsam imaginem inhonorari, ita ut interior affectus circa illam versetur: nam etiam immediatè tendendo in Principem quoad executionem potest inaequalis iniuria in ipsum committi; cum longè grauiorem iniuriam inferat Principi is qui eum occidit, quàm is qui solum leuiter laedit vel rident &c. & proinde non repugnat interdum censi minorem iniuriam irrogari deiectione statuae, & nihilominus iniuriam formalem seu interiorem affectum inhonoratio- nis respicere Principem tanquam personam quae inhonoratur. Idem proportionem dicimus de cultu, nimirum quamuis interdum sit minus feruens, intensus &c. quando alicui exhibetur per imaginem, interior tamen affectus semper respiciat prototypum: id enim potest contingere ex eo quod apprehensio in ordine ad affectum mouendum non ita perfectè obiectum repraesentet.

Confirmatur solutio à posteriori; si argumen- tum concluderet intentum, propriè concluderet nunquam exhiberi eandem adorationem imagini & exemplari seu prototypo, quod tamen iuxta priorem sententiam dici nequit. assumptum ostenditur, quia iuxta illam sententiam iniuria quae fit imagini minor est quàm sit ea quae persona in se ipsa afficitur.

Obiectio 7. videntur esse diuersae hereses quod non liceat honorare sanctos, & quod imagines non sint adorandae; ergo signum est quod imagines possint adorari seiuinctae ab exemplari, tamen propter exemplar. Consequenter prob. si hoc non liceat, videbitur ad eandem heresim pertinere vtrumque negare.

Resp. neg. consequ. & eius probationem; quia alia est heresis quod sancti in se non sint honorandi & inuocandi, & alia quod illis non liceat statuas erigere & illos in imaginibus & per imagines colere, sic ut externa submissionis nota quoad executionem immediatè versetur circa imagines; & qui negarunt posterius, non idcirco negarunt prius: quamuis ratio naturalis dicat, si possumus Deum & sanctos honorare, quod id possumus prestare per imagines modo explicato.

Confirm. negantes imagines posse honorari & adorari, non solum id negant sub certo modo & certa consideratione, scilicet tanquam integrum adorationis & interioris affectus obiectum, sed simpliciter & absolute & proinde ex eorum heresi non licet à contrario colligere imagines posse adorari etiam seiuinctas à prototypo, ita ut ipsum prototypum nullo modo sit terminus adorationis, quamuis sit ratio propter quam adoratio deferatur imagini. Assumptum prob. quia ne quidem iam potest redargui tanquam hereticus qui negaret praedictum modum.

2. Ex nulla sententia Patrum potest colligi id solum voluisse Iconomachos, & non simpliciter negasse modum adorandi imaginem ut representantem & cogitationem continentem prototypum. Prob. quia saltem eum modum concludunt plu-

rima testimonia Patrum, quae partim citauimus, partim fusiis ab aliis referuntur, & proinde est incredibile hereticos eum non negare, cum sit incredibile Patres ita conspirare in modum, de quo nulla inter Catholicos & hereticos etiam in confuso fuerit controuersia.

Ex dictis licet colligere idem esse dicendum de speciebus sacramentalibus Eucharistiae, scilicet eas non posse adorari per se à Christo seiuinctas, propter rationes allatas: ipsum tamen Sacramentum Eucharistiae debet per se latrā adorari, quia intrinsece dicit etiam diuinitatem presentem.

Ex dictis etiam colligitur sacrificium non posse imaginibus offerri, nam sacrificium requirit interiore submissionem respectu eius cui offertur, cum offeratur in testificationem supremi domini vitae & mortis.

2. Neque orationem posse ad imagines dirigere, non enim quidquam ab imaginibus petimus, utpote quae preces nostras capere non possint; neque possumus fiduciam in illis collocare, ut Trident. sess. 25. loco citato.

3. Neque eas propriè esse capaces laudis, cum laudem intelligere nequeant; vnde cum illae videntur laudari, non tam ipsae quàm auctor & causa efficiens laudatur vel exemplar. Quando vero in hymno ecclesiastico dicitur *O crux ave spes unica* &c. oratio dirigatur ad Christum, ut patet ex sequentibus, & crux per metonymiam sumitur pro crucifixio: in quibusdam eiusdem hymni versiculis per prosopopeiam crucem alloquimur tanquam personam.

Notandum aliquos censere imagines improprie adorari, alios analogice, alios ut conditionem adorationis; qui his loquendi formulis nolunt negare externa signa adorationis imaginibus exhibenda, sed solum volunt significare haec non habere rationem formalis adorationis, nisi procedant ex affectu submissionis interioris erga prototypum, & proinde non videntur mereri censuram, quia 7. Synodus parum curat de nomine, dummodo fateamur imaginibus posse exhiberi exteriora signa honoris, venerationis, salutationis, &c. Verius tamen est posse dici propriè adorari; nam illud nomen tam propriè & vltatè sumitur pro nota externa venerationis, quàm pro interiori animi submissione & seruitute.

Denique notandum quod quamuis apud doctos liceat loqui vtrouersum modo & secundum vtramque sententiam; tamen apud populum cautè sit procedendum, eum docendo non esse collocandam fiduciam in imaginibus, nec existimandum quidquam diuinitatis illis inesse, ut Trident. supra. sed nos illis debere reuerentiam & externa submissionis signa exhibere propter prototypa quae repraesentant: addi etiam posset, ita ut in illis & per illas interius ipsa prototypa veneremur.

ARTICVLVS IV.

Utrum crux Christi sit adoranda adoratione latræ?

RESPONDET 1. crucem in qua Christus pendit duplici titulo adorandam esse adoratione latræ, scilicet per accidens; 1. quia repraesentat Christum tanquam imaginem. 2. propter contactum sui ad corpus Christi.

Respondet 2. reliquas cruces vno solum titulo posse adorari, nimirum quia repraesentant Christum crucifixum.

DVIVM.

D V B I V M.

An crux Christi possit adorari?

QUAMVIS ex dubio superiori facile pateat quid dicendum sit de adoratione crucis spectata sub priori consideratione, quia tamen varij heretici peculiariter negant crucem posse adorari, idcirco id breuiter est expediendum.

Claudius Taurinensis negauit crucem Christi eiusque signum esse adorandum, vt refert Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum in tomo 4. bibliothecæ sacræ; quem postea secuti sunt varij, quos refert Bellarm. lib. de imaginibus cap. 26. quos sequuntur nostri temporis heretici.

Sed fide constat tam crucem in qua pependit Christus, quam alias posse adorari. patet ex definitione 7. Synodi quæ habetur act. 7.

De cruce in qua Christus pependit

Prob. 1. ex Patribus. Damasceno lib. 4. de fide cap. 12. vbi fusè ostendit crucem Christi & alias eius reliquias vt lanceam, præsepem, clauos, esse adoranda. Chrysostomo homiliâ quoddam Christus sit Deus, tomo 5. dicente; tanta veneratione lignum illud habetur, vt qui parum ex illo habere possunt auro includent & cernicibus imponant.

Prob. 2. ex desiderio quo flagrant omnes pij habendi eius particulas, cuius desiderij plures antiqui Patres sunt testes apud Bellarm. lib. citato cap. 27. illud autem desiderium signum est Christi crucem semper in summo honore apud Christianos habitam.

3. Idem probatur ex miraculis quæ in crucis inuentione contigerunt, de quibus constat ex probatis auctoribus.

4. Crux fuit instrumentum per quod redempti sumus, per quod salus generi humano allata, per quod Christus diabolum expoliavit & de illo triumphauit nos eterno Patri reconcilians; fuit etiam altare in quo Christus seipsum eterno Patri in sacrificium obtulit.

Quoad alias cruces, præter definitionem 7. Synodi citatam

Prob. ex perpetuo vsu Ecclesiæ. 2. ex Patribus qui cruces honorarunt. 3. ex miraculis quæ per cruces contigerunt, quæ passim ab auctoribus referuntur. videri potest Bellarm. lib. citato cap. 28.

4. ratione; supra ostendimus licere imagines adorare; ergo licet etiam adorare crucem, quæ est imago representans crucifixum. videri potest Bellarm. sup. cap. 29. vbi ex Patribus & variis miraculis ostendit esse vtile formare signum crucis.

Ex his Patet 1. id quod docuit S. Thom. in corpore, scilicet lignum sanctæ crucis posse duobus titulis adorari, nimirum & propter contactum ad corpus Christi, & quia representat Christum crucifixum; reliquas verò cruces posse solum adorari ex secundo titulo.

Ex quo vterius patet materiam crucis in qua pependit Christus non solum posse adorari dum crucis formam retinet, sed etiam eâ destructâ; quia nimirum semper retinet priorem rationem, scilicet contactus sui ad corpus Christi; materiam tamen aliarum non ita aptè posse adorari si formam crucis non retineat. v. g. si partes ligni, lapidis, amittant formam crucis, quia non ita ingenerunt representationem Christi crucifixi.

Patet 3. propter similem contactum ad Christi corpus nos posse honorare alia passionis instrumenta, vt lanceam, clauos, spinam coronam, co-

lumnam &c. videri potest Damasc. supra.

Contra id quod dicitur de adoratione crucis in qua Christus pependit; similiter de adoratione clauorum, lanceæ;

Obicitur 1. quod ea dolorem & ignominiam Christo attulerint, & proinde potius sint detestanda. Conf. filius non solet honorare patibulum in quo parens suspensus fuit.

Resp. ex dictis negando posteriorem partem assumpti. nam hæc instrumenta non solum Christo dolorem attulerunt, sed etiam summam gloriam, quatenus Christus per crucem & passionem suam demonem vicit & ligauit, chirographum decreti contra nos deleuit, & genus humanum eterno Patri reconciliauit. Vnde meritò in summo præpio sunt habenda & honoranda, tanquam instrumenta tantæ victoriæ; quemadmodum filius meritò posset honorare patibulum in quo parens innocens mortem pro republica obeundo hostes debellasset, & salutem populo peperisset; per quod patet responsio ad confirmationem.

Obicitur 2. si crux & alia relata possint adorari propter contactum Christi, poterunt etiam adorari labia Iudæ proditoris.

Resp. negando conseq. quia ipse contactus labiorum Iudæ verè erat peccatum externum, & proinde labia erant instrumentum animatum peccati, & ex parte eorum contactus erat noxius, qui non poterat sanctitatem ex Christi sanctitate participare, contactus verò aliorum instrumentorum ex parte eorum fuit innoxius, vnde non est par vtriusque ratio. Adde quod hæc labia fuerint pars hominis scelerati, qui proinde censeretur honorari, si honos eis exhiberetur.

Addunt aliqui si quis recta intentione affectum in solum Christum intendat, eum posse reuerenter labia Iudæ adorare, scilicet præcisè propter contactum ad Christum, ab omnibus alijs abstrahendo; quod, vt non videatur improbable spectando solum rei naturam & seponendo scandalum, practicè tamen non videtur facile admittendum: quare cautè procedendum in similibus, & sequendus communis vsus Ecclesiæ; in publica adoratione moraliter loquendo vix potest cuius scandalum & indecentia.

Contra id quod dicitur nos posse alias cruces adorare;

Obicitur quoddam sequatur nos etiam posse adorare omnes clauos, lanceas, spinas, spongas &c. præsepia, imò asinos, cum illa omnia possint prædicta representare.

Resp. negando consequentiam, si consequens intelligatur de vsu communi, pro quo

Notandum in quacunque materia formentur cruces, & licet formentur separatæ à reliquis quæ representent passionis instrumenta, eas posse adorari, quia communi consuetudine non habent alium vsum quàm representare crucem in qua Christus fuit crucifixus, neque ad alium finem efformantur à fidelibus; alia verò in argumento recensita communiter habent alium finem, & quidem peccatum, quæ proinde nequeunt dici communiter facta ad representanda instrumenta passionis Christi, v. g. clauus communiter non fuit ad representandum clauum quo Christi manus fuit perforata &c. sed ad alium vsum vulgarem, qui proinde non possunt dici imagines illius clauus; & ita de alijs, quæ communiter non offerunt sese per modum signi, sed per modum rei iuxta suam conditionem naturalem & communem vsum spectatæ.

Obiectio 1.

Resp.

105.

Cruce attulit Christo summam gloriam.

Obiectio 2.

Resp.

106.

Possintne adorari labia Iudæ.

Obiectio contra alias Cruces.

Resp.

107.

Cruces omnes cui adorantur potius, quàm clauus &c.

Dixi, *communis usus communiter*. quia possunt formari & poni iis circumstantiis ut mentem excitent ad recolenda passionis instrumenta, & censeantur illa representare; ut si ponantur simul lancea, corona spinica, clavi, columna &c. & eo casu nihil prohibet quod minus possint honorari. Similiter si in nocte natiuitatis decenter construatur praesepe. Addi etiam potest quod vir spiritualis priuatim & seposito scandalo possit illa etiam seorsum sumpta honorare, si ea concipiat tanquam signa representantia passionis instrumenta, & ipsum Christum passum.

108.

Quidam censent quamlibet rem posse adorari, si Deus in ea concipitur.

Leont.

Aliqui etiam censent quamlibet rem posse adorari, si Deus in ea concipitur. Cum enim Deus in omni re sit intime praesens per essentiam & operationem, nihil obstat quod minus in omni re consideretur, atque in omni re coli possit, etiam exhibendo rei externam adorationis notam. pro qua sententia citatur Leontius in 7. Synodo act. 4.

Leont.

Non videtur facile usurpandum.

S. Thom.

Verum ut id spectata rei natura fieri possit, si adhibeatur diligentia ne aliquod scandalum oriatur, & euitetur omnis indecentia; non est tamen ita usu receptum, & proinde non videtur facile practicandum; praesertim respectu hominis, qui habet naturam per se adorabilem, & ex cuius frequenti adoratione latræ possit incurri periculum erroris, ut S. Tho. art. 3. ad 3. scilicet idololatriæ; vir tamen spiritualis Deum facile agnoscens in quolibet homine, priuatim eum adorans esset dignus maxima laude.

ARTICVLVS V.

Utrum Mater Christi sit adoranda adoratione latræ?

Resp. neg.

109.

B. V. potest adorari latræ per accidens; non solet tamen ita adorari.

RESPONDET negativè, eò quod sit creatura. Notandum si B. Virgo consideretur ut coniuncta Filio Dei, eam posse adorari latræ per accidens. Verum hic modus non est vstratus: cum enim habeat dignitatem per se adorabilem, videtur propter illam adorari, idque solum est quod videtur velle S. Tho. non verò vult quod nullo modo id fieri possit. Si verò consideretur ut Mater Dei, potest adorari hyperdulia, de qua dictum est art. 2. dub. 2. Potest similiter adorari excellenti cultu propter dona gratiæ habitualis, ut ibidem.

ARTICVLVS VI.

Utrum reliquiae sanctorum sint adorandæ?

Resp. affir.

RESPONDET affirmativè: quia qui aliquem veneratur, veneratur etiam ea quæ ab illo post eius mortem relinquuntur.

Notandum nomine reliquiarum intelligi non solum corpus & ossa sanctorum, sed etiam cineres, vestes, instrumenta suppliciorum, & alia quæ ipsi suo usu quodammodo consecraverunt.

110.

Reliquias qui impugnantur hæretici.

Tam antiqui quam moderni hæretici hunc reliquiarum cultum sunt infectati: ut enim alios omitam, Eunomius eum impugnauit, quem secutus est Vigilantius, contra quem agit Hieron. epistola 53. ad Riparium. pugnarunt etiam contra eandem reliquias Constantinus Copronymus & plures alij, & noster temporis hæretici.

De fide est

Se. ade tenendum est sanctorum reliquias esse

honorandas. definitur in 7. Synodo act. 7. & actione 3. vocantur *salutares fontes* quibus Deus beneficia hominibus praestat. in Concilio Gangrensi can. vltimo dicitur *anathema* ijs qui memorias Martyrum (id est loca ubi sunt reliquiae Martyrum) execrantur. in Concilio Carthaginensi 5. cap. 14. iubetur ut nulla altaria, vel memoriae martyrum dedificentur, nisi ubi sint aliquæ martyrum reliquiae. videri etiam possunt Concilium Lateranense sub Innocentio 3. cap. 62. & Trident. sess. 15. decreto de inuocatione sanctorum.

Prob. 1. ex scriptura. Exodi 13. ossa Ioseph honorificè asportantur & sepeliuntur. 4. Reg. 13. contactu cadaueris Elisei miraculum editur in mortui resuscitatione; ergo signum est quod Dominus Deus velit sanctorum reliquias in honore haberi. Act. 19. sudaria & semicinctia S. Pauli languores curarunt. Innumera alia miracula à Deo per reliquias patrata omitto, eò quod passim apud probatos auctores reperiantur.

2. ab initio nascentis Ecclesiae plurimæ factæ sunt reliquiarum honorificæ translationes: de translatione corporum SS. Petri & Pauli constat ex Cornelio Papa epistola 1. de translatione reliquiarum SS. Andree, Lucae, Timothei, constat ex Hieronymo contra Vigilantium. innumera alia honorificæ translationes à probatis auctoribus referuntur.

3. Deus reliquias sanctorum occultas & incognitas etiam miraculo manifestauit, ut patet ex Augustino lib. 9. confessionum cap. 7. de reliquijs SS. Geruasij & Protasij.

4. Probatur ex Patribus; Gregorio Nazianzeno oratione in D. Cyprianum: omnia potest pulvis Cypriani cum fide, ut sciunt hi qui ipsi experti sunt & miraculum ad nos usque transtulerunt. Augustino epistola 103. ad Quintianum, portant funde (scilicet latrores epistolæ) reliquias beatissimi & gloriosissimi martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quam conuenienter honorare debemus. videri possunt Hieron. lib. aduersus Vigilantium, & Dam. lib. 4. de fide cap. 16. qui fusè hanc veritatem docent. videri etiam possunt plures Patres apud Bellarm. lib. de imaginibus cap. 3.

Prob. 5. ex perpetua Ecclesiae consuetudine & praxi fidelium.

6. Prob. ratione. 1. ratio dicit quod non tantum sanctos & amicos Dei possumus honorare, sed etiam illa quæ ad eos pertinent; unde non tantum corpora sanctorum possumus venerari, sed etiam illa quæ ex sanctorum contactu quandam dignitatem censentur sortiri. 2. corpora sanctorum fuerunt organa animæ ad multa pietatis opera; fuerunt etiam organa Spiritus Sancti ad varia miracula patranda, & ad beneficia mundo conferenda. 3. futura sunt confortia beatitudinis & gloriæ cum anima. Post sacrosanctum sacrificium & Sacramenta, Deus nihil reliquit mundo vtilius sanctorum reliquijs.

Notandum sacras reliquias non videri per se adorandas, ita ut interior submissionis affectus ad illas dirigatur, sed tantum eo modo quo supra diximus adorari imagines, ita scilicet ut nota quidem exterior immediatè reliquias respiciat, adoratio verò in spiritu tendat in Christum & in sanctos quorum sunt reliquiae, & per consequens tantum per accidens colantur. Ita tenent varij qui nostram sententiam de adoratione imaginum sunt amplexati, & facile deduci potest ex sancto Thoma articulo 4. & Caietano ibidem: videri potest Leontius in actione 4. septimæ Synodi.

Ratio